

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta :** 7429

**Auteur(s) :** Henri II Plantagenêt, Angleterre (roi)

**Bénéficiaire(s) :** Barbery, Notre-Dame (abbaye, abbé)

**Genre d'acte :** charte

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** [1182-1189]

**Lieu d'émission :** Rouen

**Action juridique :** confirmation

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Confirmation générale des biens appartenant à l'abbaye de Barberi.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

- a. Piolin Paul, Sainte-marthe Denis de, *Gallia Christiana in provincias ecclesiasticas distributa*, t. XI, Paris, Palmé, 1874, Instrumenta ecclesiae Bajocensis, n° XXI, col. 86-88.
- b. Berger Élie, Delisle Léopold, *Recueil des actes de Henri II, roi d'Angleterre et duc de Normandie concernant les provinces françaises et les affaires de France*, Paris, Imprimerie Nationale (Chartes et diplômes relatifs à l'histoire de France), 1916-1927, 3 vol., n° DCCL, t. 2, p. 392-395.

## Dissertation critique

Sur la datation de cet acte, voir DELISLE/BERGER, Recueil des actes de Henri II, t. 2, p. 393. Souscriptions de Siffroi, évêque de Chichester depuis 1180 et de R[oul] de Wanneville, élu évêque de Lisieux en 1182.

Texte établi d'après b

Henricus, Dei gratia rex Anglorum, et dux Normannorum et Aquitanorum, et comes Andegavorum, archiepiscopis, episcopis, abbatibus, comitibus, baronibus, justiciis, vicecomitibus, ministris et omnibus fidelibus suis, salutem. Sciatis me concessisse et presenti carta mea confirmasse Deo et abbacie Sancte Marie de Barbereio et monachis ibidem Deo servientibus omnes subscriptas donationes rationabiliter sibi factas et cartis donatorum confirmatas. Ex dono Roberti Marmium, concessione Roberti filii sui et uxoris sue et filiarum suarum et militum et hominum suorum, absque ulla reclamacione, pro salute anime sue et patris et matris sue et uxoris ipsius et liberorum eorum et omnium antecessorum et successorum suorum, omnes terras quas pater suus dederat Deo et ipsi abbacie in Barbereio, sicut carta ejus testatur. Ex dono etiam ejusdem, terram que est inter parvum boscum et Barbereium, et haiam et terram Roberti de Aneriis, et terram Willelmi Tosard, sicut in carta ipsius Roberti continetur. Ex confirmatione ejusdem Roberti, donationem eidem abbacie et ipsi monachis factam a Roberto Lotrel et Hugone filio suo, et donationem campi qui est proximus abbacie, quem dedit Nicolaus de Veins et Sibilla uxor ejus, concedentibus filiis eorum Roberto et Jordano, quem tenebant Gervasius Boterelle et Willelmus Boterelle, fratres eorum. Ex confirmatione etiam ipsius Roberti, excambium quod fecerunt monachi cum Romano filio Andulphi et fratribus ejus. Preterea, ex dono ejusdem Roberti, ecclesiam de Barbereio ex integro, excepto feodo abbacie de Fontaneto et abbacie sanctimonialium de Cadomo, et ecclesiam de Bretevilla, et ecclesiam de Quilleio, et

ecclesiam de Santellis, et ecclesiam de Ketevilla, cum omnibus pertinentiis earundem ecclesiarum, et tres partes ecclesie Sancti Germani de Chemino et Sancti Hermetis de Fontaneto, secundum quod determinatum est in cartis ipsius Roberti. Item ex dono ejusdem Roberti, presentationem predictarum ecclesiarum que ad jus suum pertinet, et stagnum cum molendino quod est inter Barbereium et Bretevillam, et in Tuepot terram cum nemore quam emerunt de Willelmo de Villers. Ex confirmatione ejusdem, donationem quam fecit Willelmus de Cingal in Veteri Merleria, et in Nova Merleria in campo de Livecel, concedente filio ipsius Willelmo et Johanne de Liveto domino suo. Ex donatione sepedicti Roberti, de dominio suo, apud Mesons XLVIII. acras terre, dimidia virgata minus, et feodum Durandi Chevestre integre, et tenementum Radulphi filii Avergne, et in feodo Roberti Perine unam minam frumenti, pro duobus modiis frumenti quos donabat monachis singulis annis in molendino suo apud Mesons, et in excambio de Jorchis (?) quas donaverat prius monachis. Ex confirmatione ipsius, donationem quam fecit Dyonisius de Tor apud Mesons, de mansura quam tenet Hugo frater ejus de abbate et conventu de Barbereio, et donationem Gervasii de Barbereio, concedente domino suo Willelmo de Urvilla. Ex dono Theobaldi de Molines, nemus suum de Molines, et totam planiciem adjacentem ipsi nemori usque ad fines terre de Cingal, et duas acras terre que sunt inter supradictum nemus et cheminum de Molines, secundum quod determinatum est in carta sua. Ex dono Johannis filii Roberti filii Godefridi de Fontaneto, concedentibus fratribus suis Rogerio, Roberto, Manasse et Godefrido, totum campum de Cornevilla, et tres virgatas terre apud Fontanetum Marmionis, sicut in carta ejus continetur. Ex dono Willelmi Pikenot, totam decimam de feodo suo in territorio Breteville et Quilleii, et totum campum in Alberiis apud Quilleium, et terram que est inter parvum boscum et predictam abbatiam, sicut continetur in carta ipsius. Ex dono Roberti filii Erneis, nepotis Willelmi de Curceio, partem nemoris sui de Cinguelès, sicut dividit fossatum terre Ricardi Placitatoris usque in alteram partem, sicut dividit petra que dividit terram Gervasii de Bundicia et Cingeleis. Ex concessione Willelmi de Kahanniis, donationem quam fecit Radulphus le Fuiant predictis monachis de Barbereio de Campo Berte, quem tenebat Osulfus, pro tribus minis avene, et unam virgatam terre quam tenebat de eo Robertus Botehole, et terram illam quam tenebat Joscelinus Pochehart, secundum quod carta ejus testatur. Ex dono Roberti de Moe, totam terram quam habebat inter stagnum monachorum et masuram Aeleis Regine, et duas garbas decime de dominio Roberti de Aceio, quas ipse Robertus de Moe tenebat de Radulfo de Pommeriaie in feodo, et ecclesiam de Veteri Fresneio, cum omnibus pertinentiis suis, sicut determinatum est in cartis ipsius. Ex dono Willelmi de Vilers, quamdam partem terre sue de Tuepot que vocatur les Halettes, et Vallem Theodorici, sicut in carta ejus continetur. Quare volo et firmiter precipio quod predicta abbatia de Barbereio et monachi in eadem Deo servientes omnes predictas donationes, et omnes alias que sibi rationabiliter facte sunt vel fient, habeant et teneant in libera et perpetua elemosina, bene, in pace, libere, quiete, integre et plenarie et honorifice, in ecclesiis et terris, in bosco et plano, in pratis, in pascuis, in aquis et molendinis, in vivariis et stagnis et piscariis et virgultis, in viis et semitis, et in omnibus aliis locis et aliis rebus ad eas pertinentibus, cum omnibus libertatibus et liberis consuetudinibus suis, et cum omnibus libertatibus et consuetudinibus ad me pertinentibus in terra mea, quas alie abbatie de terra mea habent.

Testibus : S. Cicestriensi et R. Lexoviensi episcopis, Richardo Britone clerico, Willelmo clerico de Camera, comite Willelmo de Mannevilla, R. comite Mellenti, Rannulfo de Glanvilla, Willelmo Filio Radulfi senescallo Normannie, Hugone de Creissi, Walchelino de Ferrariis, Hugone de Gurnai, Rogerio de Mortuo Mari, Willelmo de Mara, Richardo Silven.

Apud Rothomagum.